



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

VV. Remen. Archiepisc. sanctae Sabinae Cardinali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

tur, indefesso studio & sollicitudine diligenti procures; ita quod apud Deum æternæ retributionis mercedem, & apud nos dignas gratiarum actiones valeas promereri. Si verò desuper datum non fuerit ut per admonitionem & exhortationem ipsorum & tuam impleri valeat quod mandamus, tu per excom. Potestatum, Consulium, & Consiliariorum, & principalium fautorum tam Placent. quàm Parmen. ipsos Placen. & Parm. ad subeundum iudicium nostrum sufficientissima in manibus tuis hinc inde præstita cautione, vel Parmen. ut burgum ipsum nomine nostro in manibus tuis tenendum assignent restituendum per nos eis quibus de jure fuerit assignandum, omni occasione, excusatione, dilatione, appellatione, & reculatione cessantibus, nostra fretus auctoritate compellas; & eis insuper commineris, quod nisi mandatis paruerint apostolicæ sedis, manus nostras super eis curabimus aggravare. Quod si competentiorem modum, dum tractaveris super his cum partibus, poteris invenire, secundum eum procedere non omittas. Novit enim Dominus, qui renum & cordium est scrutator, quod super hoc ex puritate procedimus, non ut alterutri partium cum alterius dispendio placeamus, sed ut officij nostri debitum exequentes, sopiamus dissensionem ipsam concordia, vel iudicio terminemus; cum in simili casu Reges & Principes, sicut te latere non credimus, ecclesiastica districtione duxerimus compellendos. Cum enim inter alias orbis provincias præsertim simus de Lombardia statu solliciti, communi Lombardorum utilitati consulere cupimus, & gravaminibus præcavere, ne si (quod absit) inter se processerint ad conflictum, præter alia pericula, strages exinde non modica subsequatur. Sufficienti verò cautione ab utraque parte quod iudicio vel mandato nostro pareat, & à Parmen. possessione receptis, si per publicam famam vel alias legitimè tibi constiterit Parmen. ipsos possessionem temeritate propria Placentinis per violentiam abstulisse, possessionem ipsam restituas Placentinis, cum id ordo juris exposcat; ita tamen quod prius tibi sufficienter caveant, ut si quid postmodum propositum fuerit, mandato nostro sint & iudicio parituri. Datum Laterani V. Kal. Maij.

VV. REMEN. ARCHIEPISC.
sanctæ Sabinae Cardinali.

Cum ex iuncto nobis apostolatus officio simus secundum Apostolum sapientibus & insipientibus debitores, & omni petenti iustitiam facere teneamur, mirum esse non debet aliquibus vel molestum, si ad ea corrigenda quæ noscuntur contra iustitiam attentata, manum apostolicæ correctionis apponimus, & ad juris tramitem studemus, sicut convenit, revocare. Sanè ad audientiam nostram dilecto filio nobili viro B. Comite Flandrensi significante pervenit, quod cum olim apud Vernonem cum carissimo in Christo filio nostro illustri Rege Franciæ quædam conventiones inisset, quas se promisit juramento interposito servaturum; quia tamen homines suos inducere non potuit ad observationem ipsarum, ab ipso Rege postulavit absolvi: qui eum apud Compendium, coram multis viris prudentibus & discretis, ab ipsis denunciavit conventionibus absolutum. Cumque postmodum idem Rex instrumentum super conventionibus ipsis confectum, quod penes se post factam absolutionem retinuit, fecisset felicis recordationis Celestino prædecessori nostro cum literis testimonialibus præsentari, absolutionis prædictæ non habita mentione, ipse prædecessor noster conventiones illas auctoritate apostolica confirmavit, & præcepit inviolabiliter observari. Postmodum verò cum per insinuationem præfati Comitis & virorum religiosorum testimonium, qui absolutioni factæ interfuisse dicuntur, eidem prædecessori nostro de absolutione illa plenius constitisset, ipse præfatum Comitem tam à conventionibus ipsis, sicut eas ipsi memoratus Rex asseritur remisisse, quàm à juramento super earum observatione præfatio, confirmatione sedis apostolicæ seu literis aliis nequaquam obstantibus, reddidit penitus absolutum; sicut in rescripto ejusdem absolutionis sigillis dilectorum filiorum nostrorum Electi, Præpositi, Decani, & Capituli Cameracensis, & de Gamberon, sancti Dionysij, sancti Gilleni, de Crispinio, de sancto Amando, de sancto Iohanne de Vallencis, de Afnonio, de Aquicineto, de Marchenis, sancti Auberti, & sancti Sepulchri in


Epist. 40.
Quod absolvat
Comitem Flan-
diæ ab exco-
municatione,
& terram ejus
ab interdicto.

Vide supra lib.
1. epist. 130.

Cameraco Abbatum signato perpeximus contineri. Nos etiam, si bene recolimus, rescriptum conventionum ipsarum nobis ex parte regia presentatum inspeximus diligenter, & eas, sicut predecessor noster confirmaverat, auctoritate duximus apostolica confirmandas, tibi per scripta nostra mandantes ut ipsum Comitem ad observationem earum per excommunicationem personarum, & interdictum terrarum, compellere non tardares. Cumque tu postmodum juxta mandatum nostrum velles ipsum Comitem excommunicare, & terram ipsius interdicto supponere, ipse per nuncios suos afferens literas illas per suppressionem veritatis obtentas, quia in eis abolitionis factae mentio non fiebat, ab interlocutione tua nostram audientiam appellavit. Cum ergo rescriptum per suppressionem veritatis vel expressionem falsitatis obtentum vigorem habere non debeat firmitatis, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus quatenus si praemissis veritas suffragatur, infra viginti dies post susceptionem praesentium ipsum Comitem ab excommunicatione ac terram ejus ab interdicto sublato appellationis obstaculo absolvere non postponas; cariss. in Christo filio nostro Ph. illustri Francorum Regi ex parte nostra significans, ne id molestum accipiat, cum ex injuncto nobis servitutis officio sine personarum acceptione nulli debeamus justitiae debitum denegare. Alioquin noveris nos venerabilibus fratribus nostris Ambianen. & Tornacen. Episcopis, & dilecto filio Aquicinctin. Abbati, literis nostris districtius injunxisse, ut cum eis legitime constiterit de praemissis, ipsum Comitem ab excommunicatione & terram ejus ab interdicto nullius contradictione vel appellatione obstante denuntient penitus absolutos. Datum Laterani VI. Kal. Maij.

Epist. 41.

Scriptum est super hoc Ambianen. & Tornacen. Episcopis, & Aquicinctin. Abbati, ferè in eundem modum ut supra usque ad verbum absolutos. Nullis literis, harum mentione non habita &c. Quod si ambo &c. tu, frater Ambianensis, cum eorum altero &c.



PH. ILLUSTRIS REGI
Francorum.

Cum ex injuncto nobis &c. ferè in eundem modum ut supra usque ad verbum absolutos. Rogamus igitur magnificentiam regiam & exhortamur in Domino quatenus te non moveant aliquatenus vel perturbent quae secundum Deum & justitiam super ipso duximus negotio statuenda: quia licet te, tanquam carissimum nostrum & specialem Ecclesiae filium & Christianissimum principem amplexemur arctius in visceribus caritatis, & tuis, quantum cum Domino possumus, velimus intendere profectibus & augmentis, in nostri tamen executione officij apparere nolumus concedente Domino negligentes, cum illius vicem in terris gerere dignoscamur qui judicat populos in aequitate, & cuique vult suam justitiam conservari. Datum ut supra.

VV. REMEN. SANCTAE SABINAE
Cardinali & Senonen. Archiepiscopis,
Antisiodoren. & Nivernen. Episcopis.

Significante nobis dilecto filio nobili viro B. Flandren. Comite ad nostram noveritis audientiam pervenisse quod cum inter patrem ipsius Comitis & dilectum filium nobilem virum Comitem Nivernen. super matrimoniis contrahendis taliter fuerit interposito juramento statutum, quod ipse pater Comitis filiam suam I. nomine eidem Comiti Nivernen. traderet in uxorem, & ipse filiam suam, cum ad annos nubilem perveniret, Philippo praefati Comitis Flandriae fratri, vel Henrico fratri ejus, si forte praemorereur Philippus, matrimonialiter copularet, & ad complementum ipsius contractus cariss. in Christo filius noster illustris Rex Franciae ex conditu unanimi deberet utrumque compellere, necnon vos illum per excommunicationem personarum & interdictum terrarum cogere qui a pacto matrimonij resiliret, sicut in literis ejusdem Regis & vestris, fratres Episcopi, dicitur manifestius contineri; idem Nivernen. Comes quod tam solenniter factum est adimplere negligit & recusat, licet ei sit ab altera parte super contractu matrimonij plenarie satisfactum. Cum igitur, tanquam vir nobilis & discretus, illam famam debeat suam sui nominis conservare,

Epist. 42.
Super eodem.

Epist. 41.
Quod cogit
Comitem Flandriae ad observationem juramenti praestitum.